

Franckesche Stiftungen zu Halle

**M. Christ. Andr. Büttneri, Fac. Phil. Hal. Adivnct. Processvs
Dispvtandi Regvlis Et Exemplis Illvstratvs**

Büttner, Christoph Andreas

[Erscheinungsort nicht ermittelbar], 1735

VD18 13497324

Abschnitt

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:gbv:ha33-1-194932](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:ha33-1-194932)



§. 1.

Disputatio est actus, quo unus alterius sententiam argumentis impugnat, & erroris eum convincere studet; alter uero dubia proposita soluere adlaborat. Qui actum talem instituunt, disputantes nominantur.

§. 2.

Non iam multi erimus in euoluenda uocabuli disputationis deriuatione, utpote a qua, non magnum exspectamus usum, sed potius rem ipsam pertractabimus. Deducunt autem alii a dispiciendo, alii a putando, quod significat purum facere, quasi ueritas, hoc actu, pura & distincta reddatur, quod interdum omnino fieri solet; interdum uero magis intricatur, quam ut distincte explicetur. Sed nugas hasce mittamus.

(a)

§. 3.



§. 3.

Quod uero uocabulum *disputationis* diuersimode sumatur; facile concedet, qui perpendit, ipsas theses ad disputandum propositas nonnunquam dici *disputationes*, sed male; (§. 1.) *dissertationes*, quia in illis de re quadam differitur, nominandae sunt illae theses, seu materia, circa quam uersantur disputantes. Praecipue uero actus isti in Academiis recepti, *disputationes* uocantur (ad quem significatum nos inprimis hac tractatione respicimus) quamuis ex nostra §. 1. proposita definitione, etiam illa uariorum de re & thesibus quibusdam certamina, *disputationes* esse affirmamus; in quibus nostrae regulae mutatis mutandis non sine fructu applicari possunt.

§. 4.

Variis autem, modis fieri possunt *disputationes*. Nam ratione temporis & loci *disputantes*, uel praesentes sunt, uel absentes, adeoque uel scriptis uel oretenus *disputant*. Ratione intentionis, sunt uel serio dissentientes; uel exercitii gratia *disputant*.

§. 5.

Quia itaque ad *disputationem* duo requiruntur; (§. 1.) *disputatio materialis*, ubi unus sibi ipsi dubia circa thesin mouet,

uet, eaque soluere nititur, disputatio dici nequit, sed potius est certa meditationis species. Pertinet ergo huc solummodo *disputatio formalis*, in qua duae inter se disputant personae.

§. 6.

Dicitur autem ille, in disputatione qui alterius sententiam argumentis impugnat, errorisque eum conuincere studet, *opponens*; sicuti ille, qui dubia proposita soluere adlaborat, *respondens*. Opponens ergo & respondens sunt disputantes; (§. 1.) adeoque disputantium officia minime confundere debent.

§. 7.

Adest quidem in nonnullis, praecipue in disputationibus praesentibus, tertia etiam persona, quae *Praeses* adpellatur, cui Opponentis argumenti considerationem, solutionem, narrationem historiae, status controuersi, aut commodorum & damni, consentientium & dissentientium adlegationem, itemque uberiores argumentorum explicationem, &c. adscribunt; uerum quamuis in usum auditorum haec interdum praesidem in se suscipere posse, concedam; attamen necessaria omnia non esse puto, nisi quis disputationes inter modos docendi referre uelit, id quod tamen ab amata quorundam *methodo*

(a) 2

pro-

uenire solet. Ergo si officia dicta praefidis consideres, facile patebit, quaedam esse necessaria, quae tamen ex idea respondentis consequuntur, adeoque ad respondentis officia pertinere, e. g. argumenti consideratio & solutio, narratio ita-
tus controuersi, (§. 6.) quaedam uero minime ex disputantium idea sequi, qualia sunt cetera. *Praefes* ergo est persona, quae in subsidium respondentis adest, ut, si huic aqua haereat, theses, contra opponentis argumenta defendat.

§. 8.

Praefidi ergo, dum in subsidium adest respondentis, (§. 7.) non alia officia incumbunt quam respondenti. (§. 1. 6.) Adeoque ut respondens considerari potest.

§. 9.

Ergo si praefes in subsidium respondentis adest; (§. 7.) respondentem ut loqui permittat est necesse, quam diu rite respondet. Adeoque si respondens bene se suasque theses defendat, necesse non erit, ut uerbum addat praefes; ut itaque uitio ipsi uerti nequeat, si tacet.

§. 10.

Male ergo praefides loquaces, respon-
sionem defendentis bonam, statim inter-
fringunt.

§. 11.

Attamen interdum casus existere possunt, ut praeses, uel omnia, uel plurima in disputatione in se suscipiat, quod est respondentis; e. g. si eruditionem suam speciminibus probare, aut gradum aliquem aut Ius honoris Academici, disputatione consequi debet.

§. 12.

Ergo ut intelligere queamus, an bene obseruet, quod suum est; ad finem in cuius gratiam disputatio instituitur, est respiciendum. Is enim, cuius gratia actus disputatorius habetur: plurima loqui debet; siue sit respondens, siue praeses. Ergo & silentium non semper respondentem cedit in ignominiam.

§. 13.

Ergo, quia praeses & respondens una est persona; (§. 7.) duae tantum sunt & adparent in disputatione. Etsi enim plures successiue uno sunt oppositores; non tamen omnes, uno ore respondentem dubia mouent. Id quod etiam ualet, si plures adsint respondentes.

§. 14.

Quoniam itaque opponens respondentem erroris conuincere studet; Respondens uero dubia soluere adlaborat, (§. 6.) conuictio uero non aliter nisi per demonstra-

strationem absoluitur; (§. 201. Log.) necesse est, ut doctrinam de demonstratione probe cognitam habeant disputantes. Quomodo enim alias opponens respondentem convincere, hic uero dubia soluere posset? nisi monstret, opponentem sua, quae in medium protulit, dubia, minime demonstrasse. Quoniam uero demonstratio, doctrinam de ratiociniis, iudiciis, experienciis ideis & definitionibus praesupponit; (per princip. Log. & §. 168. Log.) Logicam calleant disputantes, est necesse.

§. 15.

Fortassis tamen putas, non omnem logicam disputantibus necessariam esse, sed eam solum partem, quae de ueritate certa agit? Verum non semper disputatur de rebus, quae certam admittunt cognitionem; sed colloquuntur haud raro etiam de probabilibus, aliisque ad Logicam pertinentibus doctrinis, disputantes; ne dicam de conuictione, cuius methodum perspectam habere debent, una cum ea de meditatione, quae uero sine omni & solida Logices cognitione non bene procedit. (§. 193. Log.)

§. 16.

Quoniam uero conuictio nulla erit, nisi res doctrinasque de qua disputatur, bene intel-

intelligent ; (§. 201. Log.) ideo etiam in materiis , de quibus obiectum disputationis agit, hospites esse minime debent disputantes. Et quia una ueritas alteram supponit ; (§. 134. Log.) cognatas doctrinas , & principia , ex quibus theses in disputatione propositae , ulterius , probari & demonstrari possunt , probe intelligent , est necesse.

§. 17.

Ergo repetitio horum, ante disputationis actum non inutilis erit.

§. 18.

Et quoniam saepe termini philosophici adhibentur , ut cogitationes suas distincte proponere queant ; & horum notitia requiritur.

§. 19.

Porro quia consuetudo praecipit , ut latinis uerbis utamur in disputationibus academicis ; patet , neminem fere ad disputandum nos admittere posse , quam qui idioma latinum intelligit, eoque animi sui sensa expedite, clare ac perspicue proponere potest.

§. 20.

Attamen quia magis ad res , quam uerba in disputatione attendimus ; (§. 1.) cauendum , ne cum quibusdam tam anxie omnibusque doloribus nos cruciemus, aut

Ciceronis uerba, eorumque positum mutare aut uiolare, religioni nobis ducamus. Nam hoc modo non possumus non titubante & balbutiente lingua cogitationes nostras dicere, auditorio taedio parere, inque ridiculum Paedantismi uitium incurere. Sufficit hic stylus philosophicus.

§. 21.

Sed tamen cauendum, ne ex altera parte barbaris, soloecis, horrendisque uocabulorum cogitationumque expressionibus utamur. Nam hoc modo occasionem dabis te explodendi.

§. 22.

Porro quia disputatio est conuictio; (§. 1.) in conuictione uero attentio necessaria est; (§. 203. Log.) omnia sunt uitanda quae attentionem turbant. Quum itaque affectus attentionem turbent; a prauis affectibus disputans liber esse debet. Ergo & omnia uerba phrasaeque sunt uitanda, quae affectum excitare possunt. e. g. est uocabulum: absurdum, thesis uel sententia absurda.

§. 23.

Huc uero non referas alacritatem, feruoremque simulatum, sine tamen iniuria. Hisce enim ad excitandam attentionem bene utuntur disputantes.

§. 24.

§. 24.

Et quia disputationes secundum certas peraguntur regulas ; illas ut perspectas habeant disputantes , est necesse.

§. 25.

Hasce uero regulas disputandi non solum ex scriptis, quae methodum disputandi declarant, addiscere possunt, sed & modis aliis. Nam quia habitus per crebrum acquiritur exercitium ; (§. 13. Ethic.) regulae illae etiam addiscuntur, per iteratos disputandi actus, quos itaque qui disputare uelint & debeant, negligere minime possunt.

§. 26.

Ergo idem habitus disputandi oritur, per crebrum exercitium ; (§. 25.) si saepius disputationibus aliorum interesse uelint, attendantque, an bene secundum regulas respondens & opponens disputent. Idem enim hoc modo est, ac si ipsi disputarent. Bonas namque imitantur ; male uero disputantes occasionem ipsis praebent, per sua commissa uitia, ab iisdem sibi cauendi.

§. 27.

Ex qua ratione itaque §. 25. proposita, non male ex lectione scriptorum eristicorum, habitus disputandi acquiritur ; si ea

(a) s

modo

modo, §. 26. indicato, perlegere & diiudicare uelint.

§. 28.

Quoniam uero respondens dubia opponentis diluere & soluere adlaborat; (§. 6.) theses suas ad disputandum propositas, iam pro ueris habet, easdemque ut ueras defendit. Nam etli interdum exercitii gratia, falsas defendat theses; nihilominus iam ut ueras adsumit. Ergo a dubiis solum liberare intendit suas theses.

§. 29.

Quoniam itaque a dubiis tantum, suas liberare theses, pro ueris iam habitas, respondens intendit; (§. 28.) non eas, ut dubias confirmare aut ulterius ut ueras probare intendit. Ergo opponens officia disputantium confundit, quod fieri tamen non debet (§. 6.), si a respondente probationem thesium suarum petit. Respondens enim est quasi in possessione, easdemque tam diu pro ueris uenditat, tam diu erroris aut falsitatis nondum est conuictus. Ergo respondenti non incumbit probatio, sed opponenti; id quod ex idea opponentis etiam patet. Nam quia opponens, respondentem falsitatis aut erroris conuincere studet; (§. 6.) conuictio uero sine demonstratione fieri non potest; (§. 202. Log.) opponenti incumbit, ut fal-

falsas respondentis theses esse demonstrat;
Demonstratio uero est probatio; (§. 167.
Log.) opponenti ergo incumbit probatio,
adeoque non respondenti. Opponens
enim non scire cupit, quomodo respon-
dens theses suas probare; sed an contra
dubia defendere possit.

§. 30.

Non itaque nobis occini potest illud:
reus excipiendo fit actor, l. 19. pr. Cod. de
probat. & praesumption. Nam aliud plane
certamen ineunt disputantes; aliud uero
in foro litigantes, quorum itaque proban-
di modus hic adplicari non potest, uti ex
definitionibus etiam actoris & rei perspicui
potest. Deinde etiam obiectum in foro
aliud est, quam in disputationibus; ibi
enim quaestio est de iure aut facto, hic
de ueritate. Denique respondens non ex-
cipit, sed opponens; adeoque inuerti
potest argumentum, dum non respon-
dens, sed potius opponens actoris perso-
nam repraesentat, cui etiam, ex adducta
lege, probatio competit necessario.

§. 31.

Multo minus illa, alias notissima nobis
opponi possunt: *Affirmanti incumbit pro-
batio*; aut: *neganti incumbit probatio*.
Verum haec non sunt axiomata; sed uel
partim ex iure ciuili; uel ex male intel-
lecta

lecta regula philosophica originem ducunt : Vnum enim aequè uerum est, quam alterum : Scilicet : si respondentis theses aliquid negant ; opponens affirmatiuam in se suscipere potest , & uice uersa ; id quod ex doctrina de oppositione propositionum patet. De qua statim.

§. 32.

Ex idea porro disputationis, fines huius actus facile concludi possunt. Nam si opponens erroris respondentem conuincere ; hic uero contra illum , eiusque dubia , ueritatem , (siue ueram , siue imaginariam (§. 29.) defendit ; (§. 1. 6.) *inuentio* ueritatis, disputationis finis esse nequit, sed potius *ueritatis confirmatio*, quae deinceps eo magis elucet, quo magis a dubiis speciosis fuit liberata. Ergo & per disputationes, errores euitantur.

§. 33.

Ergo male reiiciunt disputationes illi, tanquam actus nullius usus, quia perspiciunt, nullas fere in disputationibus inueniri ueritates : Verum ex errore, quasi ueritatis inuentio disputationum finis esset, non alia potuit conclusio duci ; quod tamen iudicium facile euitatur, si ea, quae (§. praec.) adduximus, probe obseruentur.

§. 34.

§. 34.

Ex falso (§. 32.) adducto disputationis fine, nonnulli etiam, olim praecipue, sed falso concludebant; neminem respondentis conclusiones impugnare posse, nisi antea praemissae fuissent euerfae. Verum hoc modo non solum maxima oriebatur opponentibus difficultas; sed & eo ipso impediabantur in productione dubiorum praestantissimorum, quae forte contra conclusiones melius proferre potuissent, quam aduersus principia.

§. 35.

Ita etiam ex falso illo principio & fine (§. 32.) nonnunquam thesis defendebatur: respondenti etiam incumbere probationem; quae tamen, ex (§. 29.) corruit, & euertitur.

§. 36.

Ille, quem (§. 32.) adduximus, finis, ex ipsa disputationis & disputantium idea immediate consequitur. (§. 1. 6.) Possibiles autem adhuc sunt alii. Nam quia ad solutionem dubii (in quibus haud raro multa non solum inter se confunduntur, sed & ideae diuersae coniunguntur, aut subordinatae diuelluntur, & quae sunt alia) iudicium requiritur, itemque acumen, profunditas atque ingenium; (§. 45-52. Psych. & §. 137. Log.) ideo nonnull-

nulli ad hasce mentis facultates exercendas, disputare solent. Ergo & ad ideas distinctas media esse possunt, (§. 80. Ont.)

§. 37.

Ergo quia dictae §. praec. facultates augeri etiam possunt, si interdum falsae theses, ut verae adducuntur & defenduntur; ideo & falsas theses nonnunquam exercitii gratia defendere licet; attamen, ne nos ipsos, aliosque laedamus, non serio re haec proposuisse, indices, neque summa pertinacia & ostentationis gratia, easdem defendas, sed potius in fine, modum refutandi tradas atque demonstrates, omnesque ut ab hac falsa thesi desistant, dehorteris. Opposita enim ita iuxta se posita magis elucescunt. Ergo & ueritates inde discere possunt auditores.

§. 38.

Porro quia disputantibus Logices regulae perspectae esse debent, (§. 14.) quas in disputandi actu adplicant; meditatio uero secundum regulas logicas fieri debet; (§. 193. Log.) per disputationes frequentes, (adhibitis etiam modis §. 26. 27.) habitus meditandi augetur, ualde utilis.

§. 39.

Ita quia lingua latina disputamus; (§. 19.) non solum facultatem habitumque lati-

latine loquendi sibi acquirunt disputantes,
sed & donum proponendi.

§. 40.

Ergo quia per disputationes donum
proponendi augetur ; (§. 39.) animum et-
iam addit & *παρρησιαν*, futuris oratoribus;
quibus ex causis, haud raro quidam dispu-
tant; adeoque exercitium linguae latinae,
donum proponendi, & animum publice
loquendi, pro fine habere possunt dispu-
tantes (§. 39, & Ont. §. 80.)

§. 41.

Ergo quia in conuictione, attentio est
necessaria ; (§. 22.) in disputatione uero
conuictiones adhibentur ; (§. 1.) disputatio-
nes etiam, ut medium attentionis sibi
praescribere possunt disputantes, adeoque
finis eorum esse potest. (§. 80. Ont.)

§. 42.

Et quoniam tot tantaque ex disputatio-
nibus proueniunt bona ; (§. 32-41.) bona
uero uoluptatem creant ; (§. 89. Psych.)
non potest non, qui haec aliaque sibi re-
praesentat, uoluptatem & delectationem
ex disputationibus percipere, praecipue si
honorem, famamque ex multis disputa-
tionibus prouenientem etiam perpendit.
Quoniam itaque bona appetimus ; (§. 98.
Psych.) honor, delectatio, atque uoluptas
ex

ex disputationibus resultans, finis disputantium esse potest. (§. 80. Ont.)

§. 43.

Denique quia & alii nobis iniungere possunt, ut disputemus, quibus vires nostras, nostrosque in studiis profectus addiscere uelint; ideo & eruditionis specimina esse possunt, adeoque finis. (§. 80. Ont.)

§. 44.

In disputationibus adhibentur demonstrationes. (§. 29.) Per demonstrationes uero nouae inueniri possunt ueritates. (§. 167. Log.) Ergo disputationes ansam dare possunt, ut nouae inueniantur ueritates.

§. 45.

Quicquid uero ita comparatum est, ut bonorum nos participes faciat, illud dicitur *utile*; Atqui disputationes multorum bonorum nos participes faciunt; (§. 32-44.) disputationes ergo sunt utiles; adeoque minime sunt reiiciendae aut damnae. Tot ergo disputationes, utilitates afferunt; quot adduximus cc. II. bona.

§. 46.

Et quoniam eruditae haud raro mouentur controuersiae; (per experient.) ideo secundum regulas disputandi controuersias componere debent. Ergo sine regularum disputandi cognitione non esse possunt. Q. uero

uero sine aliquo esse nequit, illud ipsi est necessarium; (§. 41. Ont.) regulae ergo disputandi omnibus eruditis sunt necessariae. Per actum uero disputandi, eo melius regulas tales addiscunt & intelligunt eruditi; ergo ipse actus disputandi eruditus utilis esse potest. Ut ilia quia ad perfectiones nostras faciunt, (dum nos bonorum participes reddunt, (§. 45.) bona uero ad perfectionem nostram faciunt §. 36. Ont.) non sunt negligenda, si nostrae id permittunt circumstantiae; (§. 13. Eth.) actus ergo disputatorios permittentibus circumstantiis (§. 13. Eth.) minime negligere debent eruditi omnes. Nequid iam de Professoribus, aliisque, honores academicos anhelantibus, dicam.

§. 47.

Ad dubia uero, quae alias contra disputationes in medium proferuntur, ut operose nimis hic respondeamus, non est necesse. Ea enim ita sunt comparata, ut statim corruant, quamprimum leui tantum attentione & meditatione ea consideremus; obseruatis praecipue, quae de disputationibus hactenus tradidimus. Adlegare, est etiam ergo hic refutare. Sunt uero maxime sequentia: 1) Per disputationes oriri studium contradicendi & scepticismum, originemque eas esse altercatio-

(b)

tio-

tionum. Verum primum cadit per respondentem probe exercitatum, qui optime limites contradicentibus ponere potest. Per dogmata uero defensa cadit scepticismus. (§. 1. 6. 32.) 2) per disputationes amitti ueritatem & pietatem. Sed refutatur hoc, ex (§. 32.) Quoad pietatem uero inuertimus argumentum, utpote quae per ideas distinctas, quales per disputationes nobis acquirimus, (§. 36.) potius promouetur. (§. 69. Eth.) 3) quod nullum habeant usum; refutauimus (§. 45.) Et quia academicae disputationes, homines ad serias praeparant; ideo 4) cadit eorum sententia, qui has quidem, non uero illas licitas esse pronunciant.

§. 48.

Nunc hisce praemissis processum ipsum delineabimus, & quidem ita, ut statim, positis regulis opponenti necessariis, respondentis officia adiiciamus. Ordinem uero seruabimus, quem seruant disputantes ipsi.

§. 49.

Quamprimum loca sua occupant disputantes; respondens *breui* & perspicuo praeloquio, de thematis sui utilitate, necessitate, tractatione, uindicatione, historia, usu, occasione &c. aliquid dicat, ut eo melius, tum opposcentes, cum auditores

res omnia intelligere queant, summi-
que Numinis auxilium, Praefidisque subsidium,
beneuolasque auditorum aures imploret.

§. 50.

Post haec, uel totum auditorium, uel
opponentes ordinarios, prouti consuetu-
do Academiarum postulat (in nostra enim
uel totum auditorium inuitare possumus,
quod in disputationibus inauguralibus ne-
cessario requiritur, uel oppositores ordi-
narios, in disputationibus exercitii gra-
tia; in Lipsiensi personam omnium hono-
rationem, & ab initio Decanum; in Tu-
bingensi ab initio Cancellarium, &c.) ad
opponendum inuitet, gratam acceptam-
que eorum praesentiam, paratumque op-
ponendi animum laudet, & ut dubia sua
proferant, decenter petat. Nonnun-
quam a personis, materia, loco, occasio-
ne, aliisque circumstantiis, loquendi for-
mulas desumere potest.

§. 51.

Tunc opponens, ualde gratam atque
acceptam sibi respondentis inuitationem
esse ostendit, dubiaque non solum exte-
nuat atque excusat; sed & beneuolam as-
sumtionem & resolutionem, uel a prae-
sidente & respondente simul coniunctim pe-
tit, uel ab unoquoque seorsim. Inter-

(b) 2

dum

dum & uti respondens, ex circumstantiis suum praeloquium componit. (§. 50.)

§. 52.

Quibus peractis, quia opponens respondenti contradicit, (§. 6.) proponat opponens *controuersiae statum*, seu rem circa quam praecipue controuersia uentilatur. Ergo id fieri potest, indicando Respondentis thesin impugnandam, cum sua Antithesi; uel per formationem quaestionis. Quoniam uero unum aliquod praecipue, missis reliquis, impugnare nonnunquam intendit opponens; per remotionem indicare clarius potest, quatenam determinata sit res controuersa. Ex. gr. sit Respondentis thesis impugnanda, definitio pacti; pactum est promissum mutuum, de factis sibi praestandis. Hinc definitionem uel indicare & praelegere cum sua Antithesi, uel quaestionem formare poterit, sc. an *mutuum* promissum esse debeat pactum. Hinc indicare potest, se non negare, pactum esse promissum; neque quod facta sibi praestanda, sed tantum an esse debeat promissum *mutuum*? Ergo ita ex respondente quaerat, an haec sit eius mens? Ergo & definitio praemitti potest nominalis.

§. 53.

Praemisso hoc controuersiae statu, argumentum

gumentum opponens proponit. Et quoniam convincere studet respondentem, quod demonstrare est, (§. 202. Log.) hoc uero sine ratiocinio, s. syllogismo fieri nequit; (§. 167. Log.) per syllogismos fieri debet oppositio, & non per discursum.

§. 54.

Ergo quia opponens thesin impugnat; (§. 52.) aliquam debet eligere, quam impugnare potest. Ergo theses, qualesnam sint, cognoscat.

§. 55.

Sunt autem uel *apertae*, quae expressis uerbis in dissertatione continentur; uel *reclae* s. *occultae*, quae per bonam & pro-nam consequentiam, ex thesi responden-tis aperta deducuntur. E. g. sit thesis aperta: DEVS praecipit conseruationem nostram. Ex hac, sequentes fluunt re-clae: 1) DEVS est. 2) DEVS aliquid prae-cipere potest. 3) Conseruatio nostra est possibilis. 4) conseruatio nostra est licita. 5) conseruatio nostra est necessaria. &c.

§. 56.

Quoniam itaque & propositio in Enthymemate omissa, statim per consequentiam adduci potest; ideo & talis, ad theses re-clas referri potest. (§. praec.)

§. 57.

Apertae rursus in *reales*, rem ipsam continentem, & *uerbales*, positum uerborum respicientes; (quorum etiam citationes autorum pertinent) itemque in *primarias*, de quibus praecipue sermo est, & *secundarias*, quae occasione primariorum proponuntur; nec non in *materiales*, s. materiam ex qua dissertatio constat, & *formales*, quae methodum & ordinem dissertationis respiciunt, diuiduntur.

§. 58.

Reales theses, uel principia uel conclusiones continent. Verbales respiciunt barbariem, nouitatem, obscuritatem, ambiguitatem, rectitudinemque uocabulorum, quae omnia, secundum (§§. 79-93. Log.) diiudicari debent.

§. 59.

Quia uero dissertationes, methodum bonam obseruant, siue minus; (quod tamen ualde necessarium est) adeo etiam ad theses formales est attendendum. Male ergo Iacobus Thomasius id negligere iuber, in Processu disputandi n. 46.

§. 60.

Quum itaque respondens totam suam dissertationem contra opponentium dubia defendere intendit; (§. 6) ideo ex omnibus hisce thesibus (§. 55- 59.) opponens unam

unam alteramque pro lubitu potest eligere, eamque impugnare. Eligat ergo talem, quae grata est respondententi, sibi & auditoribus. Ergo quia singularia, non trita placent; primarias singularesque theses impugnandas sibi sumat opponens.

§. 61.

Ergo quia disputantes dissertationem intelligere debent; (§. 16.) ante disputationis actum, dissertationem in hasce theses resolvant, easque secundum regulas logicas diiudicent. Hoc enim modo opponens dubia inuenire; respondens uero eo facilius responsionem ad dubia meditari poterit, ut hac ratione tela praeuisa minus nocere queant.

§. 62.

Non tamen disputantes, semper tantum sibi metidandi habitum acquisiuerunt, ut proprio Marte dubia, responsionesque inuenire possent; hinc etiam ex scriptis eristicis, compendiis & systematibus, aliisque eruditis, non uero ab opponentibus ipsis, quae ipsis necessaria sunt, addiscere ualent.

§. 63.

Ergo historia litteraria hic non inutilis erit. (§. 62.)

§. 64.

Opponens thesi respondentis contradicit. (§. 6.) Ergo adplicanda est doctrina de oppositione. (pag. 60. seq. Obs. nostr. Log.)

(b) 4

Log.)

Log.) Ergo oppositio non sit adparens, Ut uero oppositio eo melius perspiciqueat; ipsa uerba theseos retinenda sunt, adeoque idem subiectum, & idem praedicatum. Ergo quia oppositio uel *contraria* est, ubi una affirmat uniuersaliter, quod altera uniuersaliter negat; uel *contradictoria*, quarum altera propositio opposita est uniuersalis, altera particularis; opponens uel oppositione contraria, uel contradictoria, thesin respondentis impugnare poterit.

§. 65.

Respondens thesin contra dubia opponentis defendit; (§. 6.) ergo illorum habeat cognitionem, quam prodit, si argumentum ab opponente prolatum repetit h. e. *assumit*; respondens ergo opponentis argumentum, formato prius determinato controversiae statu, sine quo minime disputet, (§. 52.) assumat. Ergo quia repetit; iisdem uerbis, aut saltem talibus, quae sensum non mutant, uti debet. Ergo quaedam in chartam conicere potest.

§. 66.

Ergo opponens, uerborum in assumptione mutationem, non concedat. (§. 65.) Ergo illam notet, respondentemque hac in actione iuuat.

§. 67.

Quia uero argumenta in materia & forma

ma falsa, uel non contradicentia, (quod ignorantiam elenchi uocant) nihil, uel non recte probant; (§. 134. 143. Log.) respiciat statim respondens, an uitia haec committat at opponens. Ergo si non contradicit, statim concedere potest totum. Atamen caueat, ne, quod indirecte contradicit, concedat; facile enim mutari potest in directe contradicens. Si uitium est in forma; illud, indicato uitio, reiiciat. Si in materia; uel maiorem, uel minorem neget, & quia opponenti incumbit probatio, (§. 29.) probationem ab eo decenter petat. Si non recte probat, uidelicet, si probatio ex alia, quam ex qua disputatio est desumpta, disciplina petitur; (quod μεταβασις εἰς ἄλλο γένος dicitur) id moneat respondens, urgeatque ut uitium hocce non committat.

§. 68.

Opponens uero, quia conuincere studet; (§. 6.) quae respondens (§. 67.) notauit, id minime concedere debet. Ergo monstret, quod argumentum contradicat omnino; aut nullum in forma uitium esse, uel ut, nisi respondens id monstrauerit, demonstrationem huius uitii petat; aut μεταβασις εἰς ἄλλο γένος hic non esse, potius mentem suam non bene intelligere respondentem, indicet. Quod si uero maio-

(b) 5 rem

rem, aut minorem, uel utramque negauit respondens; easdem in conflictu secundo probet; & quidem, quia per hanc probationem respondens demum recte conuincitur; per syllogismum, quem prosyllogismum adpellare solent.

§. 69.

Quia in conflictu secundo opponens probat; (§. 68.) de conflictibus, antequam ad alia procedamus, aliquid est dicendum. Diuidunt enim omnem disputandi actum, in *tres* conflictus. Dicitur autem *conflictus in disputatione*, modus, quo opponens & respondens contra se inuicem agunt. Quoniam itaque 1) alius modus est, si opponens argumentum proponit; respondens uero illud assumit & probationem petit; 2) alius, si opponens probationem negatae thesios affert; respondens uero certo modo illam diluit; & 3) alius, si opponens ad responsionem datam excipit; respondens uero ad exceptiones rursus respondet; ideo non male in tres istos conflictus disputatio dispescitur. Ergo quia conflictus inter se sunt diuersi; non debent confundi,

§. 70.

Verum dicis: ita plures sunt statuendi conflictus. Nam nos ipsos iam uaria adnotasse (§. 67. 68.) quae in hisce (§. 69.) pro-

propositis conflictibus non reperiuntur; & post tertium conflictum, multa occurrere, quae in hisce conflictibus non extent. Verum ad primam obiectionem respondeo; uaria illa, solum ad argumenti propositi considerationem pertinere, adeoque, quia probationem negatae thesios nondum petiit respondens, omnia & quidem recte ad conflictum primum referri; quid enim negaret respondens, aut quomodo posset conuinci, si argumentum nondum sese rite haberet. Ad secundam uero adnoto, uaria illa quae desiderantur, nil alia esse, quam continuationem, conflictus tertii, adeoque committitur fallacia diuisionis.

§. 71.

Quoniam itaque disputandum est conuincendo per syllogismos; (§. 53.) respondens in conflictu primo, de quo adhuc agimus, non permittat, ut opponens quaestionibus, uel discursu aut argumentis e longinquo conclusionem, respondentis thesi immediate contradicentem, corroborantibus; aut talibus, quae uiam perueniendi ad respondentem incognita pandunt, eum uexet; sed potius moneat, ut syllogismos, loco quaestionum, proponat; aut discursum in syllogismos includat, uel ipse faciat; aut ut syllogisimum primarium,

um,

um, thesique immediate contradicentem (quia conflictus non debent confundi, (§. 69.) proferat, sibi que a syllogismis ad ipsi incognita ducentibus, per bonam resolutionem & assumptionem caueat. Haud raro enim fieri solet, ut opposcentes astuti, hisce uitiis ad confundendos respondentes, utantur. Ita etiam in eundem finem, sine indicio theseos, aut status controuersiae, statim argumentum proferunt in medium opposcentes.

§. 72.

Ergo quia conflictus non debent confundi; (§. 69.) probationem, ut multis placet, maioris, aut minoris, statim in primo conflictu, antequam petiit respondens, opponens non addat. Ita enim frustra alias propositio probatur, quia respondens eandem fortasse concedit, & tempus consumitur inaniter. Respondens uero, etiam non respondeat, antequam probauit opponens. Ita enim mentem eius eo melius cognoscere, faciliorique modo respondere ualeat.

§. 73.

Respondenti non incumbit probatio, (§. 39.) neque officia disputantium confundere licet. (§. 69.) Ergo caueat sibi respondens, ne onus probandi in eum deuiuat opponens, quod non solum per syllo-

sylogismos negatiuos ; sed & per obscuritatis accusationem , fieri potest. Ergo tales syllogismos reiiciat , quod inprimis per inuersionem facile peragitur. E. g. sit opponentis argumentum : Quaecunque thesis non potest probari , ea est reiicienda ; Atqui. Ergo. Respondens inuertit : Contra quam thesin nihil solidi potest probari , illa non est reiicienda. Si uero obscuritatis ab opponente accusatur ; tunc uel sine ratione , uel cum ratione id fit. Si hoc , quia respondens theses suas defendit ; (§. 6.) non solum per definitiones , sed & regulas hermeneuticas ab obscuritate eas liberet , praecipue si male eas intellexit opponens. Si illud : opponenti incumbit , ut rationem obscuritatis reddat , quae saepissime in ipso opponente , eiusque ignorantia aut incuria , continetur , quo ipso suos etrores monstrat. Nam quod tibi obscurum , quia alii maiorem scientiae gradum sibi acquisuerunt , alteri clarum esse potest.

§. 74.

Noli autem putare , respondentem officia disputantium confundere , si oppositio- nes leuiiores , speciosiores reddere studet ; nam hoc solum in gratiam opponentis & auditorum , (quia disputatio esse debet conuictio §. 1.) cura & studio interdum facit,

facit, immo & facere potest. Qua ex ratione etiam in re grauiori, respondens suas theses amplius probare potest.

§. 75.

Quia sophismata non recte probant; respondens monstret argumentum oppositis ad sophismata pertinere. Ergo id fieri potest ex doctrina de sophismatibus, uel si monstret, quatuor adesse terminos; uel per argumentationem similem. Ex. gr. sit argumentum: Q. credit saluatur; Diabolus credit; E. Diabolus saluatur. Respondens itaque hocce reiiciat, quia inest fallacia homonymiae, uel quia ad sunt 4 termini, aliud enim est *fide saluifica* aliud fide historica credere; uel per simile argumentum, e. g. Q. credit, saluatur, Q. impii credunt; E. Q. impii saluantur. Vel si Pontificii pro immaculata B. Virginis conceptione ita argumentantur; si Eua, tanquam typus ad Mariam immaculata erat; Mariam ipsam immaculatam fuisse constat. Sed recte nostrates: Si Dauid tanquam typus ad Christum, cum peccato originali est conceptus, Christum ipsum &c.

§. 76.

Quia itaque per applicationem duorum in distinctione membrorum, ad maiorem unum, alterum ad minorem, 4. in syllogismo

gismo termini oriuntur; respondens hoc modo omnia opponentis argumenta, (si uexare uelit opponentem) accusare poterit 4. terminorum.

§. 77.

Si status controuersiae minus recte formatur, aut in disputando plane negligitur, committitur *ignorantia elenchi*; e. g. est Ioh. VIII. 57. Ergo si respondens unum distinctionis membrum, proposita distinctione, in conclusione adplicat, uexare poterit opposcentes, cum ignorantia elenchi. E. g. si respondens, omnes ideas a sensatione oriri, affirmat; opponens uero Cartesianus ita argumentaretur; Q. idea est innata, illa non oritur ex sensatione; DEI idea est innata, ergo non oritur ex sensatione; respondens distinguit inter sensationem mediate & immediate perceptam, & membrum *mediate* adplicat in conclusione. Aut contra alium qui ex sensatione externa omnes deducere uellet, distinguit inter sensationem internam & externam; membrumque *internam* adplicat in conclusione.

§. 78.

Constituto sic conflictu primo, transit fit ab opponente, quia conuincere studet, (§. 6.) per probationem ad conflictum secundum. (§. 69.) Quoniam uero in iudi-

iudicando res omnis ad comparationem, subiectum inter & praedicatum redit; (§. 111. Log.) ideo opponens probe consideret, an & quomodo hae ideae inter se cohaereant, uel discrepent. Ergo quoniam probatio & demonstratio principia supponit; opponens non solum intelligentia praeditus esse debet, sed & in scientiis uersatus sit, necesse est. Talia uero principia cognoscere etiam potest, uel ex dissertatione respondentis ipsa, uel ex aliorum compendiis, & systematibus, nec non ex scriptis aduersariorum & eristicis.

§. 79.

Haec uero, quae (§. 78.) proposuimus, eo spectant, si ueritates certas & interdum etiam probabiles impugnare debemus. Probabilitas uero dispescitur in fidem & coniecturas. Si opponimus, quoad coniecturas; uidendum, an circumstantiae ex hypothese rite deducantur, siue minus. Ergo ut contradicamus; experimenta, observationes aliaeque circumstantiae, quae respondentis thesin destruunt, sunt adducenda, ex quorum natura & indole, per ratiocinia causalia & practica, contraria respondententi deducimus attributa, effectus & media. Ita in Physicis, medicis, criticis, aliisque disciplinis, quae probabilitatem

tem admittunt, opponimus. Ita Eginhardi auctoritatem aliis opponimus.

§. 80.

Ita in fide, siue diuina, siue humana, ea adplicanda, quae fufius pertractauimus (§. 180. seqq. Log.) Scilicet uidendum, an auctor testes fide dignos adducat, & an testimonium sit uerum, seu ab eo autore profectum; an porro non sit mutilum, deprauatum, interpolatum & contradictoria contineat. Ergo quia testes fide digni, aliquid probare possunt; tales sunt adducendi, qui contrariam respondentis thesin defendunt, aliaque loca auctoris; quo & referas in theologia & Iurisprudencia, alia oracula s. dicta S. S. aliasque leges, contrarium continentes. Quoniam uero ficta haud raro recensentur, quae impossibilia, aut saltem improbabilia sunt, dum ob certas circumstantias, res uel plane non, uel non ita fieri potuit; per coniecturas etiam Ethicas atque politicas & physicas, aliasque circumstantias impugnari possunt. Ex gr. si respondens, defenderet: Euangelium Matth. Ebraice esse scriptum. Opponens recte argumentaretur: Q. libri non in Iudaeorum solum, sed omnium gentium usum dati sunt, in illis etiam DEVS adhibuit linguam omnibus gentibus notam, i. e. graecam;

(c)

cam;

cam ; Atqu. Euang. Matth. & Epist. ad Ebr. E. Idem etiam ex eo impugnari posset, quia his in libris nomina Ebr. explicantur, quod non opus fuisset, si idiomatice Ebr. essent scripti Matth. I. 23. XXVIII. 33. 46. Ebr. VII. 2.

§. 81.

Quoniam uero testimonia atque dicta aliorum obscura sunt ; disputantibus incumbit, ut in sua causa quivis per regulas hermeneuticas & Criticas uerum sensum explicet, ueramque monstret lectionem.

§. 82.

Opponentem quia nesciunt, qualemnam neget propositionem respondens : ad maiorem, minoremque meditentur probationem, & responsiones, ut eo melius excipere queant ; & quidem proferant eas per syllogismos ; (§. 68.) quamvis & per discursum neruus probandi indicari posset.

§. 83.

Quodsi uero opponens astutus, sole meridiano clariores, suas praedicat theses ; onusque probandi hoc modo in respondentem deuoluit ; respondens, quia officia disputantium non confundi debent, (§. 6.) id non concedat, sed probationem urgeat, prouti monstrauius. (§. 68.)

§. 84.

Quia itaque in probatione opponens eadem

dem committere potest uitia, prouti commisit in conflictu primo; ideo eundem obseruet respondendi modum respondens, qualem descripsimus. (§. 67-77.) Attamen, quia in conflictu secundo, probandi & conuincendi neruus, demum rite cognoscitur; (§. 168. Log.) plurimae ab opponentibus committuntur uitia; ideo alia quaedam adhuc adiiciamus. Ergo si probatio nondum rem claram reddat; ulterio- rem probationem & conuictionem, adeoque syllogismos petat. Ergo discursus, si non placet, reicere poterit.

§. 85.

Opponens sc. quia nihil quam materia & forma in syllogismo adpareret, peccare potest, si 4 adponit terminos: cui uitio occurrit respondens, quia est confusio, (§. 28. Log.) per distinctionem, quae est idearum, commixtarum separatio. Ergo quia est idearum commixt. separatio; membra, ad confusionem tollendam necessaria (non ergo omnia) 1) proponere, 2) si opus est explicare & 3) ad maiorem & minorem applicare debet respondens; alias confusio non recte tolli potest. Ex. gr. argumentum (§. 75.) soluitur: Q. credit (fide saluifica) saluatur; Diabolus credit, fide historica) E. conclusio: Diabolus saluatur, non rite est probata.

(c) 2

§. 86.

§. 86.

Quodsi distinctionis membra non statim succurrant; unicum ad maiorem, minoremque adplicare potest respondens, quem modum respondendi *limitationem* uocant. Ergo limitatio etiam locum habere potest, si propositio, sub certa tantum conditione ad uniuersales pertineat. Ex. (§. pr.) ita (proposita antea limitatione, indicataque limitanda propositione) hoc modo soluitur. Q. credit (fide saluica) saluatur; (concedo maiorem) sed Diabolus credit, (fide saluica, nego minorem; ergo probes) Limitatur uero, uel subiectum uel praedicatum; in casu priori dicitur materialis, in posteriori formalis.

§. 87.

Quodsi alio modo contra formam impingat opponens; id ex adductis rationum regulis (§. 134. seqq. Log.) moneat resp.; e. g. si opponens, ex puris negantibus concluderet &c. non enim contra omnia in formam commissa uitia, peculiaris ut adducatur modus, est necesse.

§. 88.

Quoad materiam peccat opponens, si tanquam uniuersalem adducat, quae pro tali tamen non haberi potest. Quia itaque uniuersalis omnes sub se comprehendere

dere debet ideas subordinatas, & propositiones, per hasce formatas; (§. 134. Log.) ideo talem non uniuersalem esse optime cognoscere possumus, si aliam sub hanc assumimus, illiusque uniuersalitatem hoc modo infringimus, quae assumptio, *instantia* uocatur.

§. 89.

Ergo quia instantia esse debet idea subordinata; (§. 88.) idea diuersa instantiam largiri nequit. Verum quia ideae subordinatae, uariae species esse possunt; similitudo omnimoda non requiritur. Attamen, quia instantia est subsumptio; (§. 88.) maior repeti debet. Recte ergo contra Pontificios argumentantes; Q. portauit Christum, illud est adorandum; Atqui Crux. E. nostrates afferunt instantiam: Q. portauit C. illud est ador. Atqui Asinus; E. Opponenti ergo non fit iniuria; si adducitur diuersissima.

§. 90.

Porro in materia peccat, si subiecto ideam diuersam, ut praedicatum iungit, quod tamen separari debuisset, & uice uersa. (§. 111. Log.) Respondens ergo oppositam propositionem, negata tali oppositis, ut ueram, eamque pro se, non contra se adducere potest atque debet, qui modus respondendi *inuerso* uocatur. Ex.

gr. fit Opponentis arg. Q. dissertatio multas continet definitiones, illa fit obscura & confusa; Atqui Vestra. E. Resp. inuertimus ita: Q. diss. multas cont. def. illa non fit obs. & conf. sed distincta, quod finis definitionum declarat. Ita etiam inuertitur, si opponens: Q. reuelatio ideas supra captum nostrum continet, illa non est genuina; Atqui S.S.E. Resp. Q. reuelatio ideas, supra captum nostrum continet; illa est genuina; frustra alias DEVS hominibus reuelationem dedisset. Alia exempla supra quaeras, (§. 30. & 47.)

§. 91.

Quum *retorsio* sit inuersio minoris, concessa & assumpta maiore; retorsio, eodem fit modo, iisdemque circumstantiis, uti diximus §. pr. E. g. fit oppon. arg. O. ideae uniuersales oriuntur per abstractionem; definitiones non sunt ideae uniuersales, E. retorsio fit a respond. definitiones sunt omnino ideae uniuersales, quia ad omnia inferiora adplicari possunt.

§. 92.

Ergo quia propositio falsa, qualis etiam describitur (§. 90.) non ut uera admitti potest; respondere etiam possumus per *negationem*, quod est dicere non esse uerum; & ut statim falsitas adpareat, adducta ratione. Ita in ex. §. pr. responde-
re

re etiam possumus: negamus minorem, quia &c. In syllogismis uero disiunctiuis, quia non omnia membra sunt adducta, quae tamen adduci debent (§. 155. Log.) negatur maior. Ex. gr. Contra scripturam sacram, quam nos adsumimus, ita argumentantur aduersarii. Si scriptura sacra, est iudex controuersiarum, aut erit ratione litterae, aut ratione sensus. Sed non ratione litterae, quia littera occidit, 11 Cor. III. 6, seu in errorem inducit, prouti multa haereticorum exempla probant; nec ratione sensus, quia sensus saepe est obscurus, & ambiguus. Verum recte a nobis negatur maior; quia datur tertium; scilicet ratione sensus & litterae simul. Hinc & eodem modo argumentantur quidam nostratum, eoque ipso falsam aduersariorum ratiocinationem esse ostendunt: Si papa est iudex controuersiarum, aut erit ratione corporis, aut ratione mentis. Non ratione corporis, quia corpus non cogitare potest, quod tamen ad iudicem requiritur necessario; nec ratione mentis, quia mens nil potest eloqui, utpote quae caret omnibus ad loquelam instrumentis. Haec argumentatio falsa, ad modum concludendi aduersariorum, illustrare etiam potest, (§. 75.)

§. 93.

Non uero ideo probat respondens; (§. pr.) sed tantum theses a dubiis liberat, h. e. responderet. (§. 6.) Distinguimus ergo inter probationem, quam profert respondens, suae theses, & probationem, quod opponentis thesis sit falsa. In priori itaque casu, quia respondens disputantium officia confundit, (§. 6.) id moneat opponens, urgeatque secundum dicta (§. 84. 92.) responsionem. Ergo si uexare uelit respondentem opponens; hoc in casu respondentis officia praestare potest. Idem etiam urgere poterit, si respondens, quae ad rem non pertinent, proponit; ne a statu controuersiae, summe necessario, (§. 52.) abducatur.

§. 94.

In conflictu tertio, opponentis est excipere. (§. 69.) Ergo si respondens negauit; (§. 92.) uel recte, siue minus recte negauit. In priori itaque casu, probationem speciosiore afferrat; in posteriori neget falsitatem, ob adductam respondentis ficulneam rationem. Ergo optime hic ad sensationem prouocet. E. g. si opponentis, affectus ex sensatione oriri affirmantis, sententiam neget respondens, quia sit contra experientiam; reiicere negationem poterit, & ad sensationem prouoca-

uocare. Hinc per inductionem, respondentis rationem euertit, quo ipso instantiam ab eo petit. (§. 88.) Ex. gr. omnes in specie, seu quotquot placent, affectus enumerare potest opponens, & de iis monstrare, eos ex sensatione oriri, adeoque unicum in contrarium, ut respondens adducat, petat.

§. 95.

Ergo quia in inuersione & retorsione, negat respondens; (§. 90. 91.) eodem modo excipit opponens, uti §. pr.

§. 96.

Quia distinctio fit secundum certas regulas; (§. 70. Log.) eamque proponere, explicare & adplicare respondens debet; (§. 85.) opponens ad distinctionem excipere potest; eam esse contra Logicam; (§§. cit. Log.) uel ueram esse suam thesin, etiam sine hac distinctione, adeoque eam superfluam esse; uel explicationem, & adplicationem petere potest; uel denique negat, propositionem limitatam non contradicere thesi; potius probet, eam, etiam si limitata, nihilominus respondenti contradicere. E. g. Nostrates, scripturam sacram, tanquam normam controuersiarum, adsumunt; contra quam sententiam Pontificii ita argumentantur: Si in V. T. scriptura sacra non fuit norma controuersiarum

fiarum fidei, Deut. XVII. 8. seqq. nec esse etiam potest in N. T. sed uerum est prius, E. & posterius. Quodsi itaque inconsiderate ad locum allegatum distingueret respondens, inter controuersias ciuiles & rationales; non solum opponens distinctionem, per regulas logicas falsam, reiiicere; sed & eo ipso monstrare potest, thesin suam ueram esse sine hac proposita distinctione & limitatione; quapropter aliam, aut alium respondendi modum a respondente petere potest opponens. Respondens uero, quia a dubiis liberare debet suas theses; (§. 6.) aliam proponat distinctionem, scilicet, inter controuersias ciuiles & theologicas. De his enim l. c. non est sermo, sed de illis, quapropter opponentem, uitii accusare potest ignorantiae Elenchi. (§. 77.)

§. 97.

Instantia est subsumtio idearum subordinatarum. (§. 88.) Ergo negare potest opponens; ideam subsumtam esse subordinatam, adeoque respondentem non bene concludere; hinc limitare potest, suam maiorem, ne instantia eam amplius laedat. Ergo & negare poterit absurditatem conclusionis. Hinc talis est sumenda proposita, quam non solum respondens, sed & opponens, pro absurda habet.

bet. Alias recte opponens petitionem principii respondententi tribuit. Male itaque. e. g. instantiam sumeret ab actione mentis in corpus, contra eos, qui systema harmoniae praestabilitae defendunt.

§. 98.

Quia opponens iterum in exceptione, eadem uitia committit, quam in conflictu secundo; eosdem etiam ut respondendi modos adhibeat respondens, est necesse, quos supra descripsimus. (§. 84-97.)

§. 99.

Petitio principii, tanquam uitium, nihil probat. Ergo respondens id opponenti non concedat; neque ut crambem bis coctam adponat; id quod de probatione in circulo etiam ualet.

§. 100.

Loquaces disputantes, quia finem disputationis impediunt; altera pars moneat, & ut ipse loqui possit, petat.

§. 101.

Et quia contradictio non est ueritas; (per def.) ideo unus alterius contradictiones, siue in discursu, siue in dissertatione ipsa attendat, & reiiciat. Aliud uero est, si respondens, theses, exercitii gratia, & non inter se connexas, defendat.

§. 102.

§. 102.

Denique si opponens acquiescit; breui oratiuncula, respondentibus, uel coniunctim, uel seorsim, prouti placet, gratias agat, de specimine eruditionis gratuletur, omnia fausta & felicia iis a DEO adprecetur, officioseque se ipsis commendet.

§. 103.

Ita respondens par pari referat, gratias opponenti agat, dubia laudet, quod in optatis ipsi est, adprecetur, & sese commendet.

§. 104.

In disputatione exercitii tantum gratia, nihil amplius requiritur. In inauguralibus uero respondens, breui oratiuncula, DEO, Caesari, Regi, & Academiae curatoribus ob priuilegia concessa, & defensa, Cancellario aut Procancellario, Professoribus, Decano & reliquis facultatis suae membris, Praefidi ob uarios in se, propter candidatum, susceptos labores, & denique auditoribus gratias agat, quod tamen magis consuetudo, quam regula dirigit.

TANTVM.